

post repetitas confessiones perinde ut prius in peccatis suis persistentem. *Laym.* l. c.

717. II. In mortis articulo etsi dubium occurrat, an adsit verum propositum, nihilominus saltem sub conditione consuetudinarius debet absolvi; quia Confessarius urgente necessitate magis certus de dispositione non potest fieri. *Viva* in cit. propos. damn. n. 9.

718. III. Non est necesse, ut iudicet Confessarius, quod poenitens nunquam sit relapsurus, sed sufficit, quod prudenter possit iudicare, quod poenitens nunc habeat verum dolorem ac propositum, et spem prudentem faciat emendationis; in his enim consistit plena ac sincera conversio. *Suar.* hic d. 32. sect. 2. n. 2.

719. IV. Etsi consuetudo juxta probabilem non sit circumstantia mutans speciem; poenitens tamen tenetur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem, ut patet ex propos. 58. ab *Innoc. XI.* damn. *Ratio* est, quia Confessarius habet jus interrogandi ea, quae pertinent ad cognoscendum propositum non peccandi: atqui ad hoc pertinet notitia, an poenitens habeat consuetudinem peccandi, item ut medicus alias nequit salutaria praescribere media: ergo. Ita *Viva* in cit. prop. damn. Unde

720. V. Si poenitens aliis hucusque confessus prima vice tibi confiteatur, et videatur esse consuetudinarius, interroga, an ante hanc confessionem frequenter sit relapsus in idem peccatum, an aliquo tempore abstinuerit, media adhibuerit etc. et facile patebit, an sit absolvendus, nec ne.

721. VI. Non praestat, indiscreto rigore, et verbis terrificis dimittere consuetudinarios, sed potius juvat, verbis mansuetis, ut decet ministrum Christi, clare ostendere periculosum statum animae, voluntatem Christi, qui Sacerdotibus dedit quidem potestatem absolvendi, sed eos tantum, qui rite dispositi accedunt: ideoque magna hic opus est discretione, ne talem vel severitate avertat, aut lenitate seducat; maxime sit prudenter sollicitus de mediis ad emendationem profuturis.

722. VII. Qui redeunt identidem cum iisdem venialibus facilius absolvi possunt, quia venialia potius ex fragilitate, quam ex defectu propositi committi solent. Ad ea tamen evitanda prodest praeter universale propositum, etiam speciale dirigere ad unum veniale, quod frequentius hucusque commissum, et contra illud specialia media adhibere, quo extincto transeundum ad alia singulari conatu. *Sporer* in Theolog. sacr. p. 3. c. 2. sect. 4. §. 4.

## CASUS IV.

*Malchus confitetur, quod amaverit periculum peccandi. Instat Confessarius: quodnam sit illud? Reponit Malchus: Adhuc retineo mecum domi concubinam, quae mihi est periculo; quamvis itidem proponam, non peccare de caetero. Cui rotunde ait Confessarius: Et ego retineo indubitate veram sententiam, non absolvendum esse Dominum Malchum.*

723. Q. I. Quid sit periculum, et quid occasio peccandi, quotuplex ea sit? R. 1. *Periculum* peccandi dicitur id, quod vel ab intrinseco vel ab extrinseco inclinatur ad peccatum. *Occasio* vero est circumstantia extrinseca alliciens ad peccatum, ut cohabitatio, conversatio cum malis etc. Unde omnis occasio peccandi est periculum, sed non vicissim; nam qui contraxit consuetudinem mollitiei, est in periculo peccandi, etiam dum solus est, sive etiamsi nihil extrinsece illum ad peccatum alliciat, non tamen proprie dicitur esse in occasione peccandi.

724. R. 2. *Occasio* alia est *remota*, quae quidem habet vim alliciendi ad peccatum, raro tamen illud post se trahit, vel in qua quis raro admodum labitur. Alia *proxima*, in qua quis frequenter labitur. Dixi, *frequenter*: non

enim requiritur universaliter ad occasionem proximam, ut quis frequentius peccet, quam non peccet, aut fere semper peccet; qui enim ter in septimana peccat cum persona, cui cohabitatur, vere est in occasione proxima, nec tamen intra septem dies saepius peccat, quam non peccat. Porro occasio proxima iterum alia est *per se*, sive *absolute* talis, quae ob vim suam extrinsecam movendi passim respectu omnium vel plurimorum conjungitur cum peccato, ut habitatio cum concubina. Alia *per accidens* et *respective* talis, in qua passim non omnes, nec plerique, sed hic vel ille in particulari ex inclinatione sibi propria frequenter labitur. Iterum alia est *voluntaria*, quae facile vitari potest: alia *involuntaria*, quae vel *physice* vitari non potest, v. g. si quis detineatur in navi, vel carcere, ubi ipsi adest occasio proxima peccati: vel *moraliter*, idque duplici sensu, scilicet quando vel ea vitari non potest, nisi *cum peccato*, sicut miles non potest fuga deserere militiam, quae ipsi forte est occasio peccati, vel *non nisi cum valde gravi incommodo*, v. g. non sine praesenti vitae periculo. Quantum autem debeat esse damnum, unica regula definiri vix potest; quia id desumi debet ex variis circumstantiis prudentis Confessarii iudicio ponderandis. Juxta *P. Gobat*, occasio respectu illius est periculum certum, qui scit, si decies v. g. adeat illud, se labi septies vel octies: si autem bis vel ter, tunc iudicat periculum esse probabile; leve vero, si nunquam peccet, vel forte semel, et quasi casu.

725. Q. II. An possit aliquando absolvi, qui in proxima et voluntaria occasione peccandi versatur, scilicet quam potest, et non vult omittere? R. *Negative*: et multo minus absolvi potest, qui eam directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit. Vide propos. 61. ab *Innoc. XI.* damn. *Ratio* est, quia ille nequit absolvi, qui habet actualiter affectum ad grave peccatum; deest enim dolor efficax et propositum: atqui qui in occasione proxima voluntaria versatur, scilicet quam potest et non vult omittere, hoc ipso censetur habere affectum ad peccatum, et multo magis, qui eam ex proposito quaerit: ergo.

726. Q. III. An proxima occasio peccandi sit fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit? R. Est fugienda, ut patet ex propos. 62. ab eodem *Innoc. XI.* damn. Pariter ex propos. 63. ab eodem damn. patet, quod non liceat quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi; tum quia utilitas sive propria, sive proximi, aliave honestas non impediunt, quominus occasio illa sit et maneat proxima ac voluntaria, ut supponitur, ideoque formaliter peccaminosa: ergo. *Confirm.* 1. Talis vere censetur non habere propositum efficax, quia non vult adhibere medium ad vitandum peccatum necessarium, hoc ipso, quod propter utilitatem quamdam renuat, vitare occasionem et periculum peccandi, cum possit: ergo. *Confirm.* 2. Illa utilitas in hoc casu non est medium vitandi peccatum: ergo frustra eligitur a tali poenitente. Ideo Christus Matth. 18. dixit: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te*, h. e. si ea, quae maxime, et ut pupillam oculi diligis, tibi sint occasio ruinae spiritualis sive peccati; abjice illa, *melius est enim* etc.

727. Q. IV. An concubinarius sit obligandus ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinari, dum deficiente illa nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur? R. Est obligandus, ita ut absolvi non possit, nisi dimittat concubinam. Vide propos. 41. ab *Alex. VII.* damn.

Sed nonne concubinarius, qualis est noster Malchus, credendum est,

si dicat, se habere propositum ejiciendi? R. *Negative*: quia praesumptio rationabilis est in contrarium.

728. Ex dictis I. *resolves* cum *Sporer* p. 3. Theol. sacram. c. 2. n. 328. juxta Comm. DD. concubinarius notorium vix unquam posse absolvi, nisi ejecta prius infami pellice, tum ob defectum propositi, tum propter publicum scandalum. *Trid.* sess. 21. de reform. matrim. c. 8. statuit, *hujusmodi concubinos, tam solutos, quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis, et conditionis existant, si, postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factae paruerint.* Plures poenas vide *ibid.* De modo procedendi contra Clericos concubinos vide *Trid.* sess. 25. c. 14. de reform.

729. II. Nec facile credendum concubinario occulto, quamcumque demum utilitatem afferat excusatoriam, praesertim si semel jussus concubinam ejicere, id non praestiterit: quo casu (ait *Laym.* l. c. 11.) etsi jam denuo promittat, non est absolvendus, sed dicendum confitenti: *Tu prius praesta tuum officium, postea et ego praestabo meum.* Et *ibid.* subjungit: Nihilominus in certo casu circumstantiae concurrere possunt, ob quas Confessarius aliud decernet, v. g. si aliquis in gravi infirmitate vel mortis periculo constitutus alium hominem facile habere nequeat, qui necessaria ministret, praeter concubinam, ad quam tunc poenitentis carnis affectum non gerat, ideoque putet, se ejus occasione non lapsurum, cum primum autem convaluerit, a se amandandam promittat, tali casu absolvi poterit, si scandalum absit, videl. in concubinario occulto.

730. III. Pariter absolvi nequit, qui in domo aliena concubinam propriis expensis alit, et ad ipsam accedit, ac cum ipsa peccat; quia ex defectu propositi indispositus est, antequam eam amplius non visitet, nec cesset propriis expensis alere. *Duarte V.* occasio prox. n. 437.

731. IV. Quamvis graves AA. apud *La Croix* L. 5. n. 271. et *Burgh.* cent. 2. cas. 62. defendant, quod non sit obligatio eam occasionem externam deserendi, quam quis non potest deserere, nisi cum gravissimo incommodo, ideoque talem manentem in occasione proxima excusent a peccato, dummodo conetur cavere peccatum, adhibeatque nova media, et sit spes vincendi, eo quod in hoc supposito gravissimi incommodi moraliter impossibile sit vitare talem occasionem; ergo, ut ajunt, est involuntaria, ideoque non peccaminosa; *ibidem* tamen idem *La Croix* contrariam sententiam, quamvis rigidam, veram tamen affirmat, quae maxime pro praxi confirmatur ex damnatione propos. 41. ab *Alex. VII.* facta. Accedit, quod plerique illi AA. adversarii scripserint ante damnationem dictae, et aliarum propositionum, de quibus supra n. 726. egimus. Ideoque alii cum *Cajet.*, *Lorca*, *Tann.*, *Cardenas* recte statuunt, moralem illam impossibilitatem cum gratia divina, et adhibitis mediis vincendam esse, ac fugienda pericula formalia, etiam cum jactura omnium bonorum fortunae, famae et vitae, si aliter excludi non possint; quia homo tenetur etiam cum jactura vitae evitare peccatum: ergo etiam tenetur vitare formale ac proximum periculum peccati; velle enim manere in illo est moraliter velle peccatum: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

732. V. Semper hic notandum, quod per periculum peccati necessario fugiendum hic intelligatur periculum liberi consensus in peccatum, non autem periculum solius tentationis ad peccatum, aut alterius affectus mali: sic chirurgus potest medendi causa attingere partes illas alieni corporis, quae alias attingi absque peccato non possunt, quamvis in chirurgo ille

tactus foret occasio proxima tentationum, aut motuum, dummodo absit periculum proximum consentiendi his motibus, uti ordinarie tum non adest ob speciales Dei gratias, si talis se praemuniat per media efficacia, de quibus infra n. 736. Idem dicendum de Confessario, qui turpissima saepe debet audire, de mercatura, officio advocati etc. *Jansen* p. 2. cas. 98. n. 18.

733. VI. Qui constitutus est in occasione proxima involuntaria tunc potest absolvi, quando praeter vera signa doloris serium adhibet conatum ex occasione proxima faciendi remotam. *Ratio* est, quia haec occasio ipsi involuntaria est, et si serium sit propositum, occasio hucusque proxima per victoriam sui ipsius cum gratia Dei posthac illi erit remota; muniendus autem talis est bonis principiis, injungendae poenitentiae medicinales etc. Sic filius, qui a patre nequit discedere, neque facere, ut ancilla e domo paterna expellatur, cum qua tamen hucusque frequenter peccavit, tenetur ex hac occasione proxima facere remotam, sive tollere periculum relabendi formale, muniendo se per magnam peccati detestationem, per seria proposita cavendi ancillae alloquium, nunquam solus cum sola conversandi; sic adhibeat media, quae ipsi Confessarius suggeret. Idem esto iudicium de filia, quae turpem consuetudinem habet cum famulo. Addit *La Croix* L. 5. n. 278. Si nihilominus manet periculum formale et proximum, tenetur talis cum quocumque incommodo, etiam cum dispendio vitae abire. Denique speciatim

734. VII. Juxta *P. Antoine* in Theol. mor. de poenit. L. 2. a. 3. R. 1. ad q. 5. et ex dictis absolutio *denegari* iis debet 1. qui nolunt rem alienam restituere, debita solvere, famam laesam, aut aliud damnum illatum resarcire, cum possint. 2. Qui renuunt uti mediis, quae Confessarius necessaria iudicat ad emendationem; item qui nolunt pertinaciter poenitentias congruas et salutes persolvere. 3. Qui retinent voluntatem peccatum mortale committendi. 4. Qui nolunt inimicitias et odia deponere, injuriam condonare etc. 5. Qui publica scandala praebent aliis. 6. Qui nolunt abstinere ab usura, superstitionibus, contractibus aut commerciis illicitis, aut proxima, ut dictum est, occasione peccandi. 7. Qui ignorant res necessarias ad salutem necessitate medii, ut patet ex propos. 64. ab *Innoc. XI.* damnata.

735. Juxta *S. Carolum Borr.* in instruct. Confessar. absolutio generatim extra articulum mortis, donec emendatio perspiciatur, differri debet his, qui licet se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen non separandos Confessarius probabiliter iudicabit. Huc pertinet regula, quam tradit *Lugo* hic d. 14. sect. 10.: *Certum est, quando dilatio necessaria est ad explorandum firmum propositum poenitentis, de quo non satis constat, debere differri absolutionem.* Hinc speciatim differenda est absolutio 1. consuetudinariis ac recidivis, quamdiu eorum poenitentia aut emendatio prudenter dubia et suspecta Confessario videtur; praesertim quia his dilatio est remedium moraliter necessarium. Certe (ut ait *Bellarmin.* serm. 8. de Adventu) in ejusmodi hominibus non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolventi. 2. Iis, qui obligationem gravem et urgentem negligunt implere, v. g. qui iterum iterumque promittunt, se statim satisfacturos proximo laeso in fortunae, aut famae bonis etc., et identidem id praestare negligunt. 3. Iis, qui bis terque promittunt reconciliationem cum inimico, sublationem scandali, nec tamen serio student satisfacere. 4. Quos Confessarius advertit negligentiores in examinanda conscientia, eliciendo dolore, in addiscendis necessariis necessitate prae-

cepti etc. Ordinarie tamen poenitens non debet remitti ultra 15. dies; aeger enim non diu derelinquendus est a medico.

736. VIII. Media praedictis praescribenda sunt: 1. Proponat Confessarius motiva ad tollendam consuetudinem, quod mala consuetudo sit continuatum odium, et inimicitia cum Deo; quod sit catena, qua homo quotidie fortius alligatur a daemone; quod sit gravis lethargus animae in manifestum salutis periculum eam conjiciens; continuata afflictio et inquietudo animae, morbus inveteratus, qui non nisi difficillime curari solet. 2. Descendat ad media, quorum alia sunt *generalia*, v. g. fervens oratio, praesertim matutina et vespertina, auditio Missae quotidiana, sui demissio ac diffidentia, et filialis fiducia in Deo, frequens confessio apud eundem Confessarium pium ac prudentem; consilium enim viri prudentis maxime necessarium est, teste *S. Bern.*, meditatio novissimorum hominis, lectio libri spiritualis, generosa victoria sui: *Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris*; amor Dei (de quo *S. August.* L. 9. conf. c. t. exclamat: *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum*), odium peccati, quod nascitur ex recta opinione de falsitate objecti tantopere concupiti, fuga occasionum malarum. *Specialia* media sunt opera virtutum vitiis ac propensionibus pravis contrariarum. Talia assignavimus in P. I. ubi de pecc. capit. Praeterea valde juvat examen conscientiae quotidianum, praesertim particulare hoc modo: mane eliciatur propositum vitandi tale peccatum et ejus occasionem, illudque offeratur Deo cum humili petitione gratiae; addatur propositum statim eliciendi dolorem, et ultro hanc vel illam poenam subeundi, quamprimum denuo lapsus fuerit: juvat etiam quotidie novum eligere patronum, per cujus intercessionem a Deo petatur auxilium. Singulariter ad emendationem valet frequens per diem commendatio sui custodiae Angelicae. *S. Bernardus* inveterato peccatori suavit, ut primo ad honorem SS. Trinitatis per triduum a vitio abstineret, postea quartum diem ad honorem B. Virginis adjiceret; tantum effecit hoc consilium, ut poenitens elapso quatrinduo ultro diceret: *Nolo amplius diurnas, sed perennes cum Deo inducias inire.*

## SECTIO II. Resolutiones de Confessore ut Judice, Doctore, et Medico.

### CASUS I.

*Matthaeus Sacerdos Regularis petit approbationem, quam tamen non impetrat: nihilominus excipit confessiones, tum quia denegatio videbatur injusta, tum quia censebat satis esse, quod in illa dioecesi, ubi antea degerebat, fuerit approbatus.*

737. Q. I. An approbatio ita sit necessaria, ut ea etiam injuste negata, confessiones excipi nequeant? R. *Affirmative*; quia *Trid.* aperte inuit sess. 23. c. 15. de reform. *approbationem*, quae gratis detur, *obtineat*. Ergo non sufficit, ut ea tantum sit petita, sed requiritur ut actu sit obtenta. *Elbel* hic n. 284. *Confirm.* 1. ex propos. 13. ab *Alex. VII.* damnata. *Confirm.* 2. ex Bulla *Urbani VIII.* *Cum sicut accepimus*; qui, ad confirmandum *Trident.* praeceptum, revocavit et annullavit indulta Regularibus concessa audiendi confessiones saecularium absque Ordinarii approbatione. *Duar.* V. confessio n. 128.

738. Q. II. An Matthaeus recte judicavit, se hoc ipso esse approbatum in hac dioecesi, quod fuerit approbatus in illa, ubi prius commoratus fuit? R. *Negative*. Colligitur ex *Trid.*, quod l. c. requirit approbationem ab *Episcopis*: ac proinde satis indicat, non sufficere factam ab uno, quando Sacerdos mutato domicilio migrat in aliam dioecesim. *Confirm.* ex *Constit.*

*Clementis X.*, quae incipit: *Superna magni patrisfamilias*; ubi §. 4. decernitur et declaratur: *Religiosos ab Episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia dioecesi eas absque Episcopi dioecesiani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* Teste *Babenst.* t. 8. p. 6. d. 6. a. 2. n. 14. *Alexand. VII.* anno 1659. 26. Febr. damnavit hanc propos. *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua dioecesi habentur pro approbatis in aliis dioecesibus, nec nova indigent approbatione.* Controversia est inter AA., an idem tenendum sit de quocumque sacerdote saeculari. Plures cum *Carden.*, *Illsung* t. 6. d. 6. docent, in praxi tenendum esse, quod etiam Parochus hujus dioecesis non possit extra hanc dioecesim audire alienos sine approbatione Episcopi loci. Dixi, *alienos*; multi enim cum *Laurentio* et *Illsung* l. c. n. 177. non improbabiler dicunt, saltem Parochum hujus dioecesis non indigere alia approbatione ad audiendam confessionem sui subditi, cum quo peregrinatur in alia dioecesi; quia cum ratione muneris sit pastor, et ordinarius ipsius Confessarius, satis a *Trident.* censetur pro illo in tali casu approbatus.

739. Certius constat, quod Regularis approbatus possit suum socium Regularem ejusdem Ordinis absolvere, in quacumque dioecesi existat cum illo, quia decreta Pontificum et *Trid.* tantum loquuntur de confessionibus Saecularium et Religiosorum alterius Ordinis. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1515.

740. De missionariis castrensibus docet *idem* l. c. n. 1518. cum *Laym.* L. 5. t. 6. c. 10. eos, qui praeficiuntur ab Episcopo alicui legioni pro administrandis Sacramentis, esse talis legionis Parochos, ubicumque terrarum illa fuerit, et etiam alii milites in demortuorum locum subrogentur; cum enim talis legio sit ipsius Parochia, ipse semper est in sua Parochia, ubicumque sit illa legio.

741. Q. III. Quid faciendum, si monialis extra monasterium degens cum licentia Superiorum velit confiteri Sacerdoti non specialiter approbato pro excipiendis confessionibus monialium? Respondet *La Croix* l. c. n. 1526. interrogandum esse, an habeat facultatem cuicumque alias approbato confitendi, et si affirmet, credi posse; praesertim quia *Greg. XV.* in *Constit. Inscrutabili*, non nisi videtur de iis loqui, qui vel ordinarii sunt Confessarii monialium intra clausuram manentium, vel qui extraordinarie ad illas audiendas deputantur. Maxime vero haec resolutio de iis probabilior est, quae diutius ex gravi causa et licentia Superiorum a monasteriis suis absunt, moranturque ibi, ubi nullus est pro ipsis approbatus Confessarius; tunc enim incredibile est, Papam velle eas tamdiu carere Sacramento poenitentiae; secus est de iis, qui unica die absunt a monasterio. De designatione Confessariorum extraordinariorum pro monialibus vide Constitutionem *Benedicti XIV. Pastoralis curae*; quae est quinquagesima sexta in Tom. 2. ejusdem Bullarii.

742. Q. IV. An qui beneficium curatum habent, possint sibi eligere in Confessarium, simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario? R. *Negative*: affirmativa enim est damnata ab *Alex. VII.* in ordine 16. Rationem vide supra ex *Trid.* n. 678.

743. Q. V. Quamdiu duret approbatio? R. Ea, quae datur titulo Parochiae, durat quamdiu quis gaudet illo beneficio curato. Si alio titulo, et sine restrictione ad certum tempus sit concessa, durat donec revocetur ex justa causa. Si ad certum tempus concessa sit, durat usque ad terminum praefixum. Ita *Comm.*

## CASUS II.

*Nicolaus valde dubitat de sua jurisdictione, nihilominus intrepide excipit confessiones. Interim certam obtinet jurisdictionem, moxque in loco vicino, alterius tamen dioeceseos, invitatus ad festum solemne, etiam ibi audit confitentes.*

744. Q. I. An liceat cum dubia jurisdictione, aut tenuiter probabili absolvere? R. Non licet extra casum necessitatis absolvere cum jurisdictione *negative* dubia, aut tenuiter probabili. *Ratio* est, quia stante dubio negativo, aut opinione tantum tenuiter probabili, nullum aut non sufficiens habetur fundamentum prudenter judicandi, quod quis reipsa habeat jurisdictionem; ergo sic absolvens exponit Sacramentum periculo nullitatis. Neque in tali casu Ecclesia supplet jurisdictionem, si reipsa desit. Dixi, *extra casum necessitatis*, dum non adest Sacerdos habens jurisdictionem certam aut vere probabilem: tunc enim necessitas facit, ut Sacramentum non temere tractetur, et conditio adjuncta (sub hac enim absolutio in tali casu conferenda esset) excludit irreverentiam Sacramenti, si forte Confessarius reipsa non habeat jurisdictionem. Porro talis necessitas tunc adesse censetur, juxta *Babenst.* l. c. a. 3. n. 9., si absente Confessario certe legitimo, alioquin poenitens celebrare aut communicare deberet sine confessione, vel si urgeat praeceptum annuae confessionis, vel confessio cum nota infamiae diu differenda esset. *Ibid.* addit, quod talis poenitens sub conditione absolutus monendus sit, ut peccata illa rursus confiteatur Sacerdoti certam jurisdictionem habenti.

745. Q. II. Quando in errore communi censeatur Ecclesia supplere defectum jurisdictionis?

Ante R. *observa.* Error communis hic dicitur, quando is, qui actum jurisdictionis exercet in aliquo loco, ab omnibus, vel saltem plerisque ibi existentibus existimatur habere jurisdictionem, cum tamen non habeat propter aliquod occultum impedimentum. Unde R. 1. Si error communis conjunctus sit cum titulo colorato sive putativit collato a legitimo Superiore, Ecclesia supplet seu confert jurisdictionem, tam pro foro externo, quam interno. Talis titulus est collatio beneficii habentis annexam curam, apparenter quidem legitima, cum tamen reipsa ob occultum aliquem defectum, v. g. ob occultam simoniam, aut excommunicationem sit invalida et nulla; item delegatio jurisdictionis apparenter tamen legitima; in tali inquam errore communi cum titulo colorato Sacerdos existimatus habere jurisdictionem valide absolvit, quia in tali casu Ecclesia uti potest supplere, ita etiam exigente communi bono animarum, reipsa censetur supplere defectum et dare jurisdictionem non quidem stabiliter, sed pro singulis tantum actibus. *Confirm.* In tali errore cum titulo colorato Ecclesia certo supplet jurisdictionem pro foro externo propter gravissimam incommoda, quae alioquin sequerentur: ergo propter urgentem eandem rationem Ecclesia pariter pro foro interno censetur certo supplere defectum in gratiam poenitentium, ne aliena malitia, vel ignorantia ipsis noceat ad interitum animarum; item ne debeant repeti plurimae confessiones, dispensationes iterato flagitari etc. *Cardenas* dissert. 2. in primam propos. ab *Innoc. XI.* damn. c. 6. a. 5. n. 149. *Babenst.* l. c. n. 11. hanc sententiam vocat moraliter certam, et fere omnium.

746. Dixi, *valide absolvit*; Confessarius enim conscius sui defectus, si tamen absolvat, peccat mortaliter; Ecclesia enim non in ipsius, sed poenitentium communi errore laborantium gratiam supplet jurisdictionem. *Suar.* de censur. d. 11. sect. 3. n. 13.

747. E contra non peccat Sacerdos, sed valide et licite absolvit, qui

habet opinionem vere probabilem circa jurisdictionem, unaque titulum coloratum a legitimo Superiore collatum. *Ratio* est, quia si illa opinio vere probabilis a parte rei sit vera, tunc vere habet potestatem absolvendi; si falsa, tunc est error communis tam doctis, qui illam communiter supponuntur admittere ut probabilem, quam indoctis qui, quod docti affirmant, credunt: atqui in errore communi qui conjunctus est cum titulo colorato, certissime supplet Ecclesia jurisdictionem: ergo tunc certo Sacerdos habet jurisdictionem, ideoque valide et licite absolvit. *Cardenas* l. c. n. 155. *Babenst.* cum *Reding.* *ibid.* resolvit, licitum esse poenitenti, petere et accipere absolutionem a Sacerdote habente rationem vere probabilem de sua jurisdictione, et titulum coloratum.

748. R. 2. In errore communi, ubi deficit titulus coloratus a legitimo Superiore, non aequae constat Ecclesiam supplere jurisdictionem. Affirmativam ut probabilem, defendunt graves AA. apud *Cardenas* l. c. n. 151.; negativam vero probabilioris dicit *Babenst.* l. c. n. 15. Haec cum certo tutior sit, videtur praeeligenda, praesertim cum vix unquam aut rarissime possit esse ejusmodi error communis, cui non sit conjunctus titulus coloratus, vel ex officio et beneficio, aut ex delegata jurisdictione, aut ex privilegio.

749. Q. III. An ad valide absolvendum sufficiat jurisdictio praesumpta aut rati habitio de futuro? R. *Ad* 1. Praesumpta non sufficit, quia haec non est actualis concessio potestatis absolvendi, qualis requiritur ad absolvendum, sed esset concessio, sive voluntas Superioris concessuri jurisdictionem, si ea peteretur in his circumstantiis; ideoque ex praesumptione absolvens non absolvit ut habens jurisdictionem, sed ut habiturus, si etc. Eodem modo R. *Ad* 2. Multo minus sufficit rati habitio de futuro, h. e. non sufficit, quod Sacerdos sibi formet hoc dictamen: Superior si resciverit, a me nunc datam esse absolutionem, non erit dissentiens, sed ratam habebit; quia Sacramentum non potest esse dependens a nutu et voluntate futura Superioris. *Babenst.* l. c. n. 5. cum *Lugone* et *Salmant.*

750. Q. IV. An Nicolaus valide et licite absolverit in conterminis locis suae dioeceseos? R. Si ei constiterit de aliquo erecto recessu vel conventionione inter confines dioeceseos, vel legitima consuetudine, valide et licite absolvit. Per recessum quidem, ubi is erectus est inter confines dioeceseos, expressa conceditur jurisdictio; per consuetudinem autem legitimam, et tacitum consensum Ordinariorum veram obtineri approbationem, ostendit *P. Elbel* p. 2. n. 299. cum *Sporer*, *Gobat*, et *Illsung* ex praxi satis recepta in variis Germaniae locis, vi cujus vicini diversarum dioecesium Parochi invicem confitentur, et in festis solemnioribus in excipiendis confessionibus concurrentium fidelium se mutuo solent juvare. Dixi, *si ei constiterit etc.*; ubi enim nec constat de conventionione, nec de legitima consuetudine, sine expressa jurisdictione in confinibus dioeceseos nec licite nec valide quis potest absolvere: quia ex regula communi ab Episcopo loci, in quo quis audit confessiones, petenda est jurisdictio, ut satis patet ex laudata Bulla *Clem. XI.*

## CASUS III.

*Nicomedes per recommendationem obtinet approbationem et jurisdictionem pro excipiendis confessionibus. Is quamvis Theologiam moralem valde neglexerit, intrepide tamen accedit ad sacrum tribunal. Cum vero brevi adverteret, a se committi plures errores in administratione Sacramenti poenitentiae, hinc moralistas celebriores diligenter legit, et viros doctos de modo fructuose audiendi confessiones frequenter consulit.*